

I V L I I C A E S A R I S

S C A L I G E R I

E X O T E R I C A R V M E X E R C I T A T I O N V M

L I B E R

Q V I N T V S D E C I M V S ,

D E

S V B T I L I T A T E ,

A D

H I E R O N Y M V M C A R D A N V M .

In extremo duo sunt indices : prior breuiusculus , conti-  
nens sententias nobiliores : alter opulentissi-  
mus , penè omnia complectens.

*Del Collegio de S. Angel de Carmona  
Escaleros de Sevilla*

L V T E T I A E ,

Ex officina typographica Michaelis Vascofani,  
uia Iacobæa, ad insigne Fontis.

M . D . L V I I .

C V M P R I V I L E G I O R E G I S .

ubi statues hominem? Nam neque, ut piscis, humidus: neque par-  
uus, ut auis: neque magnus, ut Elephas. Huic igitur optimo tempe-  
ramento, quare non & uita longissima? Optimo nanque optimum  
debetur. Demonstratio hæc est. Si optimo inter quadrupedes tem-  
peramento constitutus Elephas, iccirco uiuit diutissime: igitur aut *Subtilis*.  
optimum temperamentum simpliciter, est causa longæ uitæ: qua-  
re homini non optimum, quia uita non longissima. Aut si in qua-  
drupedum solo genere optimum temperamentum longæ uitæ  
causa est: non erit simpliciter causa, sed forma ipsa, conseruans id,  
quod sibi comparauit. Hoc autem non est optimum in Natura,  
diutissime uiuere, sed sapientissime. Hominis enim uita non hæc *Pulcherr.*  
est, sed uia ad uitam, quæ æterna est. Aliis animantibus quod adest,  
suum ipsorum est. Homini quod adest, est propter id, quod abest.  
Abest enim, quod suum ipsius est. Haud eo inficias, temperamen-  
tum esse quasi instrumentum formæ ad conseruationem: sed nego,  
esse per se causam. Non est igitur Elephanto optimum tempera-  
mentum ad uiuendum diu: quia esset optimum in Olea, aut Palma,  
aut Ulmo, quæ diutius uiuunt. An uerò temperamentum opti-  
mum attribuat suillo generi Galenus: propterea quòd humanis si-  
millimas carnes illas iudicari: in Commentariis nobilium exer-  
citationum satis disputatum est. Neque magnitudinem, neque par-  
uitatem agnoscit Philosophus uitæ longæ, breuifue causas, in li-  
bro super ea re peculiari.

## EXERCIT. CCV.

## Monoceros. Rhinoceros.

**Q**UONIAM malo fato à Grammaticorum ferula toties sub-  
ductus in Philosophorum plagas incidisti? Nequeo tibi,  
Cardane, opitulari, qui Monocerotam sub Rhinocerotis no-  
mine pinxisti: quum duæ sint belluæ longè diuer-  
sissimæ. Rhinocerotis eius picturam uidimus, cuius cadauer è nau-  
fragio eiectum est in Tyrrenum litus. Capite suillo, tergore mu-  
nitus scutulato. Cornu gemino, altero pusillo in fronte, altero in  
nare robustissimo, quo audacissime pugnat, ac uincit Elephantum.  
Ut iam desinant nugari Grammatici, de gemino cornu apud Mar-  
tialem. Monocerotis autem figuram ex Vartomani facetissima  
narratione huc adscribemus. Unicornibus Equi magnitudo: cru-  
ra, pedes, caput, Cerui. Pili color balius. Equi iuba, rarior, breuior.  
Coxæ uillose. Cornu unum integrum Niceæ uidimus: alia alibi.

Suffuluū unum : unū subluteum, accedēs maximè ad buxeū: unum subpuniceum . Etiam habemus frustum candidum . Negat Vartomanus ferocem esse : contrā quā ab aliis uulgò acceperamus . Tametsi cæteram quoq; historiam animaduertas à multorum narrationibus discrepantem . Sed Vartomano , uiro optimo , qui sese duos uidisse scribit, habenda fides est . Quidam recentiorum, qui alienis operis suas interpolant merces , Orygem, atque Monocerotem eūdem esse arbitrati sunt . Credo quòd legerēt : ὄρυγα μονοκέρωτα . Cæterū hoc eius epitheton est . At huic nostro , quo de agimus, nomen proprium . An sit Asinus Indicus, in Aristotelicis Commentariis est à nobis explicatum . Idem maiore etiam flagitio cum Gazella Orygem confundere .

## E X E R C I T . C C V I .

Elg. Suber. Bison. Aurox.

**S**I NOSTRORVM seculorum nomina sequamur, historia facilis est. Sed ueteribus aptare, non facile est . Quanquam inter se recentiores quoque dissident . Elg igitur, aiunt, significare Asinum syluestrem. Nihil tamen habet Asini. Suizeri sic appellant animal, Cerui facie, collo, cornibus, ungula. Cui præterea sunt in armis iubæ: coxendices hirtissimæ : uilli rariores ad palearia . Iccircò hunc esse puto, quem Plinius Bisontem uocat. A nostris Germanis, Aurox, si rectè memini . A Lituaniis, aiunt, Suber, dici . Latiuscula ei, quā Ceruo cornua, sed breuiora .

## 2. Elk. Ranger. Rangifer. Alce. Machlis.

**H**INC tollendi sunt errores aliquot . Primus est coniūctus cum Plinij ignauia . Is enim Alces nomine posito, nihil apposuit eius, uel figuræ, uel naturæ . Cæsar autem Capræ formam attribuit, magnitudinem paulò ampliorem , sed suffraginum carere flexu . Plinius hoc adscribit feræ huius simili, quæ sit Scandinauicæ peculiaris: appellatque Machlin . Ego Alcem Elk puto : quæ sit alia ab Elg Suizerorum . Eos enim hoc abusos reor nomine, quo Bisontem significabant . Nam fanè Alce nostra hæc pilo asinino est . Ranger, dicitur à Sueciis : à quibusdam Gotthis , Rangifer . A Germanis Ellend . A Moscouitis, Lozzi . Inueni in quibusdam Commentariis in Noruegia, Rehen appellari : non absimili errore : si cum Germanico significatu compares . Nam sicut Heluetij Elg, quod syluestrem refert Asinum, ad Bisontem immeritò transtulere: ita Noruegiani (si uerum